MICHAELIS ETTMÜLLERI, PHILOSOPH. ET MEDICINÆ DOCTORIS, PROFESSORIS PUBLICI ET FACULTATIS MEDICÆ LIPSIENSIS ADSESSORIS,

COLLEGII INSTITUTIONALIS DISCURSUS THEORETICO THERAPEVTICUS, PROLEGOMENA.

CAPUT I. DE MEDICINÆ ORTU SEU NATALITIIS, PROGRESSU ET AUTORIBUS.

CUm in quavis disciplina tractanda plurimi *Prolegomena* quædam, naturam artis vel scientiæ determinantia, i. e. definitionem & divisionem illius spectantia, præmittant, illud & mihi, qui jam Institutiones Medicas vobis tradere, ipsamque Medicinam, omnium artium nobilissimam, delineare contendo, pariter observare convenit; adeoque procemii loco hujus considerabimus Ortum, Progressum, Definitionem atque Divisionem.

Medicinæ autem *origo* est vel *universalis*, vel *particularis*: *Vniversalis* est ipse *Deus*, testante SCRIPTVRA SACRA, in specie *Genes.* 1. & *Syrac. c.* 38. *Particularis* sunt *homines*; & quidem olim exculta fuit à regibus, vid. MOEBII *Fundam. Physiol. c.* 1. Imprimis apud *Ægyptios* & *Græcos* Medicina coli cepit, qui suas Observationes in aditis templorum repositas ægrotis communicabant.

Observationum harum primordia sunt ab *Experientia*, quam ipsam introduxit *Necessitas*, tàm in morbis internis, quam externis: Vid. HEURN. *in Institut. p.* 2. Illa est causa proxima; hæc verò remota seu impulsiva.

Manifestavit se *necessitas* duobus in casibus:

1. In *negotiis œconomicis*, dum homines notarunt, diversis alimentis quosdam lædi, quosdam juvari, & à morbis reconvaluisse, necessitate coacti, invenerunt medicamenta diætetica.
2. In *statu publico*, imprimis in bello, ubi hostili gladio aut à bestiis multi cruentati, lethaliter vulnerati, &c. duro necessitatis telo coacti, ut læsi, & vulnerati curarentur, inventa sunt remedia Chirurgica.

Unde ex *duobus his fontibus*, *diætetico* & *Chirurgico*, surrexit Medicina; & quidem ab Experientia nata primitus fuerunt *Præcepta diætetica*, à necessitate verò *Chirurgica*.

Medicina autem *olim*, ajente SENECA, *fuit notitia paucarum herbarum*, quæ tunc temporis fuit sufficiens, ut *sisteretur dolor*, *& vulnus coiret*; industriâ verò humanâ factum fuit, quod crescentibus morbis ad experimenta varia animum applicarint, atque sic in collectione experimentorum Medicorum tota tunc temporis constitit Medicina.

Modus experimentandi varius fuit. Ab *Ægyptiis*, referente STRABONE *Geograph. l.* 3. & 16. POLYDORO VIRGIL. *de Invent. Reipubl. l.* 1. *cap.* 20. & HERODOTO *l.* 1. *&* 2. ægri primitus in compita ac vias publicas expositi fuerunt, ut à prætereuntibus, morbi ideâ exploratâ, experimenta quædam pro morbo curando colligerentur, & sic sparsa & confusa norma ægrorum curandorum Medicina crevit. Postmodum etiam apud *Græcos* in adita templorum, Deorum Medicorumque, fuerunt sepositi, ut vel per insomnia, vel per sacerdotum oracula, ut plurimum simulata, nempe per experientias collectas remedia & sanationes discerent; quæ postquam legitimè, ut *Græcorum sacerdotes* veluti oraculo monuerant, applicata & salutifera experta sunt, eadem collegerunt, magnumque cumularunt numerum.

Cùm igitur per insomnia, vel per oracula, quibus sacerdotes edocti, ægrotis pharmaca communicarunt, & sanati fuissent, in tabulas conscripta, & in templis *Deorum*, imprimis *Æsculapii in Pergamo*, itemque *Dianæ in Epheso*, referente *Strabone de Situ Orbis*, curationes peractæ postmodum suspensæ, & diu asservatæ fuerunt.

Primum quod attinet *Inventorem Medicinæ*, magna scriptorum varietas, & adhuc sub judice lis est:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0051-5 DFG

haud injuriâ forsan diceretur, ubivis terrarum illam aliqua ex parte fuisse, & incrementa cœpisse, nusquam verò integram. Nimis autem rudis fuit & inculta, solâ nitens experientiâ, oblitâ ratione: hinc factum, pro varietate gentium, ut variis Autoribus inventionem Medicinæ tribuerint. Et quamvis etiam inter multas adhuc dum quæri soleat, quis primus Inventor Medicinæ fuerit? ille tamen non constat; & adhuc sub judicelis est, an fuerit *Orpheus Thracius?* qui paucis Medicinam complectens præceptis ac Annotationibus & observationibus stabilivit; an verò *Æsculapius?* de quo multa habentur, quæ videre licet in *Diss. Argentorati habita de Æsculapio.* Præ cœteris apud *Ægyptios* floruit, hinc ad *Græcos* transiit. *Prometheus* ab *Æschilo* & aliis Antiquissimis primus inventor medicinæ habetur, cujus nomine Noachus ab aliis intelligitur. *Ægyptii Hermetem Trismegistum*, (qui fuit natus ex *Chami filio Canaane*, *Noachique nepote*;) inventorem Medicinæ autumarunt. Verùm in controversiam vocatur, quis propriè *Hermes Trismegistus* fuerit? & quando vixerit? Vid. SENNERT. *l. de Cons. & Diss. Chymicorum cum Aristotel. & Galen. pag.* 21. Alii *Mizraim, ejusque nepotibus*, *Græci Apolini*, *Medelarum Deo*, propter notitiam simulque experientiam, inventionem medicinæ tribuerunt, cujus notitia saltem herbaria & admodum rudis fuit; quæ tandem per *filium Æsculapium*, ex *Græcorum oppido Epidauro* ortum crevit, qui imprimis celebris, & à posteris pro Deo habitus & veneratus fuit: unde *Ars* medica dicta *fuit Æsculapidea*: idem ipse quia vocatus fuit *Epidaurius*, *Ars* ejus dicta fuit *Epidaurica.* Hujus inventoris in honorem templa & statuæ, multis stipata insignibus, erecta fuerunt, quibus miras, easque debitas, Medicorum virtutes instaurare posteris prisci voluerunt. Etenim pinxerunt eum ut senem *barbatum*, *pileatum*, *baculo nodoso*, *serpente*, *noctua*, *cane* & *gallo stipatum.* Pictus fuit (1.) *senex barbatus*, quod medico conveniat ætas; unde experientia, quæ multorum annorum decursu acquiritur: (2.) *pileo tectus*, quo gravis Autoritas medicorum indicaretur; *Græci* enim pileum magni æstimabant. (3.) *Baculo nodoso stipatus*, propter difficultatem medicinæ, & quod is, qui velit fieri medicus, duros habeat frangendi nodos, non tantùm ratione Praxeos, cujus nonnullas molestias HIPP. *de Flat. Text.* 1. recenset, & aliàs quemvis docebit dies; sed Theoriæ præprimis respectu, ita ut ipse HIPPOCRATES, qui tamen parem sibi nondum invenit, in *Epist. quadam ad Democr.* de se ipso scribere non sit veritus: *Ego ad finem medicinæ nondum perveni, licet jam senex sim, neque ipsius inventor Æsculapius, qui & ipse in multis à se ipso dissentit*; Et HELMONT. *in Promiss.* ait: *Est ergò medendi scientia omnium postrema, maximeque occulta, adeò nec mirum, hodiè etiamnum ex typis ejus desiderari initia*; quibus TACCHENII *Hippocrates Chymicus* adstipulatur: Imò hujus difficultatis rationes HIPPOCR. *de loc. in Hom. Text.* 50. & BOYLE *Tentam. Physiol. pag.* 86. & 88. exhibent. Porrò (4.) *Æsculapius* pingebatur cum *cane*, quo sagacitatem conjecturandi Medico maximè necessariam, & stochasmum in scrutinio morborum, tàm in prognosi quàm diagnosi, indicarent. (5.) *Gallum* insuper addiderunt, denotantes per eum, tanquam per animal vigilans, debitam medici vigilantiam; unde etiam *Græci* inter sacrificia *Æsculapio* postmodum semper *Gallum immolarunt.* (6.) *Serpentem*, vel, ut alii volunt, *Draconem* addiderunt, quo prudentiam medico necessariam indigitarunt: in templo enim *Æsculapii* dæmon in forma serpentis se manifestavit, cujus sub imagine *Æsculapium*, in numerum Deorum relatum, apparuisse crediderunt. Tandem (7.) noctua, tanquam diligentiæ medicum imprimis decentis symbolum, fuit addita: noctua enim *Minervæ*, diligentiæ & studiorum Deæ, sacra erat.

Illi ÆSCULAPIO duo filii fuerunt, quorum alter *Machaon*, qui finito *bello Trojano* genuit *Nicomachum* Medicum, Proavum scil. *Aristotelis*; alter *Podalirius*, qui celebrem habuit scholam medicam in *Cariæ* urbe, *Asiæ provincia*, *Scyron*, ubi exercere & docere medicinam solitus est. Ex hujus schola tres potissimum scholæ medicæ exortæ sunt: *Rhodia*, *Cnidia*, & *Coa*; ex qua, tanquam omnium optima, egressus est HIPPOCRATES. Vixêre hi fratres tempore belli *Trojani*, profectique sunt cum *Agamemnone*, ut curarent ægros in acie sauciatos, nec mediocrem opem commilitonibus tulerunt: asserit enim HOMERUS *Iliad.* 2. & 4. OVID. *l.* 2. *de Arte Amandi*, & *l.* 5. *Trist. Eleg.* 6., illos in nullo morborum genere aliquid auxilii tulisse, sed vulneribus tantùm ferro & medicamentis mederi solitos fuisse: unde PLATO etiam testatur, veterem Medicinam totam Chirurgicam fuisse.

Ante *Hippocratem* floruit *Empedocles Agrigentinus*, cum quo fuit coætaneus *Acron Agrigentinus*, qui dicitur Autor sectæ Empiricæ: hic etiam à plurimis habetur *Autor istius libri elegantis de Veteri Medicina*, qui exstat inter libros *Hippocratis*, in quo medicina nostra hodierna graphicè descripta habetur.

Post *Acronem* famosus fuit *Melampus Archivus*, sic vocatus, quod regis Archivorum quatuor filias maniacas beneficio hellebori nigri, in sero lactis infusi, restituerit: & laudabile est hoc medicamenti genus in hoc morbo, ut & in scorbuto, obstructionibus, &c., quod etiam adhuc apud nos floret; hinc etiam *helleborus* dictus fuit *melampodium.*

Jactis ita *per experimenta vagis fundamentis Medicinæ*, rationes sensim investigari ceperunt in tribus istis scholis, quarum tamen semper celeberrima fuit *Coa*, in qua etiam claruit medicus, *Hippocrates primus.* *Plures* enim *Hippocrates* fuerunt; unus *Hippocrates primus* alter *Hippocrates Magnus* seu *Cous*, cujus *scripta* adhuc sunt famosa, quem sequuntur adhuc quinque alii; Nimirum *Hippocrates primus*, *avus Hippocratis Magni*, genuit *Heraclidem*, Patrem *Hippocratis Magni*, nati anno mundi 3500. ante *Christum* 450. Maximè inter hos, *Hippocrates Magnus* floruit, qui genuit duos filios, *Thessalum* & *Draconem*, è quibus reliqui prognati sunt *Hippocrates.* Noster *Hippocrates* continuatâ serie ab *Æsculapii* linea, à quo fuit decimus octavus, ortum habuit, cùm medicina jam mille ferè per annos penes gentem Æsculapideam stetisset, cujus universam Genealogiam habet JOHANN-ANTON von der Linden / in *Edit. Operum Hippocr. Græco-Latina, Tom.* 2. *p.* 956. *usque ad* 960.

Suam autem scientiam Medicam habuit, partim à suis avis & abavis, partim ex tabulis ægrorum votivis, ex incendio templi *Æsculapii* surreptis, & in unum volumen digestis, quæ omnia propriis observationibus confirmavit. Cùm enim antiquitus mos vigeret, ut morbis liberati in templis Deorum votivas tabulas, morborum ideam & remedia, quibus alii convaluerant, continentes suspen-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0052-1 DFG

suspenderent, quo imposterum similibus morbis correpti ad easdem tabulas, tanquam ad Hygeæ Delubra, confugerent, eorundemque medicamentorum ope similiter restitui possent, referente STRABONE *de Situ Orbis*; Divinus hic vir, peregrinando superveniens, primus omnium hæc remedia in *Dianæ Ephesinæ*, itemque *Æsculapii* templo in *Pergamo Insula Coo* Patria sua, ubi ejusmodi tabularum copia erat maxima, collegisse, exque iisdem, quamvis plebejis, artem medicam excerpsisse, tandemque cremato templo illo publicis typis in ordinem redactam consignasse, traditur: Vid. *Epistolæ*, tum temporis ab *Artaxerxe* ad *Hippocratem scriptæ*, unà cum superbis *ejus Responsis*. Claruit tempore *belli Peloponnesiaci*, sub *Dario Longimanno, Esthræ filio*: propter deletam pestem suo tempore præsertim celebris fuit. Exstant adhuc literæ *Darii*, in quibus, ut exercitui suo peste infecto medeatur, petit. *Morbos in subtili spirituoso consistere*, docuit, referente *Cornelio Celso*. Hinc rectè HELMONT. *in Tum. Pestis, Tit. Pestis Infans*, asserit: post *Hippocratem* verum pestem curandi modum interiisse; fuisse *Hippocratem* rarissimi doni virum, *adeptorum participem*, qui sua experimenta sine fuco ediderit: vid. HELMONT. *Promiss. Aut.* §. 2. *p.* 7. Mortuus est *Larissæ* in *Thessalia*, cùm esset annorum 109. *Coætaneum* habuit *Democritum Abderitanum*, summum Philosophum, qui fuit Præceptor *Hippocratis* adeoque *Hippocratis* Medicina Democritea est, non Aristotelica, cùm *Aristoteles* 100. annis junior illo fuerit: Scripta reliquit multa: sed quæ hodie nomine *Hippocratis*, cum *Galeni* aliorumque *Commentationibus*, circumferuntur, non sunt omnia genuina, nec unius Autoris; sicut & *Galeni* ætate jamtum de nonnullis multùm dubitatum fuit: imò pleraque esse quisquiliis adulterata, HELMONT. *c. l.* §. 3. scribit. Ergò iis solis, tanquam Evangelio, fidendum non erit: nam & *Acronem* & *Polybium* nonnullorum Hippocraticorum scriptorum Autores ferunt. Quæ autem sint genuina, quæ suppositicia, videbitis in HIERON. MERCURIALIS *Cens. & Disposit. Operum* HIPPOCRATIS.

Post *Hippocratem* ejus gener, *Polymæus*, scholam medicam instituit: hunc secutus est *Diocles Carystius*, & permansit medicina apud posteros *Hippocratis*, hæreditatiâ quasi possessione, ad annos penè 200. duravitque doctrina ejus usque ad tempora *Pompeji Magni*, quo tempore floruit *Asclepiades Brussiensis*, qui ab *Hippocratis* doctrina deflectere cepit ad sectam methodicam; unde debitus Medicinæ splendor usque ad *Galeni* tempora ferè eviluit.

Interea *Alexandri Magni* tempore *Græcorum Monarchia* incepit, ubi floruit *Aristoteles*, cui σύγχρονος fuit *Theophrastus Eresius*, ex *Insula Lesbo* oriundus, propter suavem sermonem ab *Aristotele Theophrastus* dictus: fuit optimus scriptor rei Botanicæ Medicæ; primus enim Botanicam excoluit; deque viribus simplicium vegetabilium scripsit. Cum eo vixit simul *Erasistratus*, Medicus SELEUCI *Macedonum* Regis, notus ex cura *Antiochi*, filii *Seleuci*. Huic coætaneus, vel paulò inferior, fuit *Herophilus Chalcedonicus*, qui artem secandi, teste ipso GALENO *Comm.* 2. *in Hippocr. de Nat. Humana*, plurimùm auxit; hinc *Vesalius* eum in hac scientia *Galeno* anteponere non dubitat. FALLOPIUS etiam dicere solitus: *Contradicere Herophilo in Anatomicis, est contradicere Evangelio*. Hic tanto studio Anatomiam prosecutus est, ut, Autore CELSO, homines à regibus à carcere acceptos vivos inciderit, & quamdiu spirarunt, viscera examinaverit. Fertur, eum 700. humana subjecta, tam viva quàm mortua, secuisse, ut constitutionem naturalem membrorum in homine experiretur.

Post *Aristotelis* tempora multis in locis, imprimis in *Ægypto* & *Alexandria*, Philosophia & Medicina magis cepit efflorescere, in specie *Alexandriæ* studio *Ptolomæi Philadelphi*, Regis *Ægyptiorum*, Academia fuit fundata usque adeò celebris, ut etiam suffecerit illic studuisse. Hinc tempore *Pompeji Magni Asclepiades Prusianus*, ex *Bithynia* oriundus, insolens & maximè superbus homo, vixit, qui omnia *Hippocratis* dogmata rejecit, & Methodicam sectam instituit, primusque vini usum in morborum cura introduxit: *Pompejo* fuit familiaris. Hujus discipulus primarius fuit *Themison Laodicæus*, in propaganda secta Methodica, quam indultu *Pompeji Magni* introduxit, celebris sub *Antonio Duumviro*, donec postmodum tempore *Neronis Imperatoris Thessalus Trallianus* hujus *Methodicæ Sectæ ferè Princeps* existeret: vid. *Moeb. Fundam. Physiolog. pag.* 12. *Pedacius Dioscorides* familiaris fuit *Cleopatræ*, & vixit sub *Vespasiano*, fuit miles, qui conquisivit sparsim vires simplicium, in quem commentatus est *Matthiolus*, ex quo libro omnia *Galenus* verbotenus exscripsit. Non ergò in omnia *Dioscoridis* verba juremus, quia fuit Rapsodus: ideò simus cauti in lectione *Dioscoridis*, & ejus Commentatoris *Matthioli*. Tempore *Augusti* floruerunt *Antonius Musa*, propter sanatum *Augustum* maximè æstimatus: scripsit *libellum de Betonica*, cujus libelli Compend. videbitis in SIMON. PAULI *Quadrip. Botanic. Class.* 3. *pag.* 219. *& seqq.*

Hoc tempore, nempe circa annos Imperatoris *Augusti*, vixit *Cornelius Celsus*, Jure-Consultus, sed simul Medicus, vir curiosus, ob elegantem stylum quibusdam *Latinus Hippocrates* vel *Medicorum Cicero* dictus. Varia ex aliis corrasit, quæ scripsit, sed sine legitimo judicio: *Secta* ferè *Methodica* plus quàm alii adhæsit; unde & *Heurnius pluris ejus latinitatem, quàm Medicinam facit*. Cum illo vixit *Æmilius Macer*, Poëta & Medicus, qui scripsit Poëticè de viribus simplicium, in cujus scriptum commentatus est *Paracelsus*.

Post hunc vixit *Andromachus senior, Cretensis, Neronis* Archiater, cui primam Theriacæ compositionem debemus; *Andromachus* verò *Junior* vixit sub *Cajo Vespasiano*. Eodem etiam tempore vixit *Thessalus Trallianus*, primarium sectæ Methodicæ caput, qui artem Medicam 6. mensium spatio addisci posse, nugabatur: fuit insuper etiam alius, qui vocatus fuit *Alexander Trallianus*. Sub *Vespasiano* etiam floruit *Cajus Plinius secundus*, *Novocomensis*, *Autor Historiæ Mundi*, quem nonnulli Medici adorare solent. Hoc tempore propter sectam Methodicam, & conflagrationem bibliothecarum, Alexandrinæ & Pergamenæ, doctrina *Hippocratis* diu prostrata jacuit.

Interea *libri Hippocratis* fortunam variam passi, imprimis propter incendia crebra bibliothecarum, unde sub *Hadriano Imperatore ab Arthemidoro Capitone*, & ejus cognato *Dioscoride*, *Alexandrinis*, collecti & digesti sunt: quibus supervenit *Galenus*, qui, quantum potuit, sub *Antoninis Imperatoribus* Hippocraticam Medicinam restaurare annisus fuit. *Natus est Galenus anno Christi* 136. ultra 586. annos post *Hippocratem*. Patria fuit *Pergamum*, *Asiæ oppidum*: Romæ studuit; *Imperatori Antonino* admodum

dum gratus; hinc valetudini filii ejus, *Aurelii Commodi*, præfectus fuit. Postmodum Imperator *Severus* eum in aulam reductum in summo habuit honore: mortuus tandem anno ætatis 70. Multa scripsit & commentatus est in *Hippocratem*; sed in quamplurimis Medicinam *Peripateticorum* desideriis defœdavit: verbosus insuper fuit. LINDANUS dixit: *se nullum tempus pejus consumpsisse, quàm in lectione Galeni.* Post *Galenum* natus est *Aëtius Amydenus*: vixit sub *Constantino Magno*, natione *Antiochenus*: primò pauper, 2. Aurifaber, 3. Philosophus & Medicus factus. Sub *Juliano Apostata* vixit *Oribasius Sarbianus*, multiplici fortunâ subjectus; paulò post *Paulus Ægineta*, qui omnia corrasit ex *scriptis Galeni*, & hinc *Galeni simia* vocatur.

Cœterum post devastatas *Athenas*, *Alexandrium* & *Tharsum*, post seculum VI. & tempora *Justiniani*, uti omnes bonæ literæ, ita in specie omnis Medicina, in *Oriente* & *Occidente* concidit: quinimò post frequentes *Barbarorum* in ista loca excursiones, tandem ad *Saracenos* & *Arabes* studium Literarum & Medicinæ pervenit: siquidem à seculo IX. usque ad XIII. per 400. annos Medicina saltem apud *Saracenos* & *Arabes* in *Asia*, *Affrica*, & *Hispania* floruit. Nam cùm *Saraceni* occuparent *Orientem*, factum est ope *Caliphorum* in *Ægypto*, ut *schola Alexandrina* instaurata fuerit: fractis enim bello *Græcis* hanc gloriam literariam *Arabes* abripere conati sunt; & ex eo tempore ad *Arabes* Medicina rediit, qui in *Marocco*, *Tuetani regni oppido*, insignem Academiam Philosophico-Medicam instituebant. Et quoniam *Reges Arabum*, *Almansor* & *Mahomet*, in *Marocco* bibliothecas egregias introduxerunt, & Gymnasia exstruere ceperunt, præpositis præmiis ad bonas artes suos inflammarunt; felici etiam quodam multorum annorum successu præclarissimi Viri ibi effulsêre: unde & *Mauri*, postquam ex *Hispania Gothos* & *Vandalos* ejecissent, istud regnum occuparunt, & *Corduba* ac *Hispali* Academias extruxerunt.

Sed cùm *Barbari Græcarum literarum* non æquè essent gnari, non mirum etiam, puros *Græcorum*, v. g. *Hippocratis*, fontes impuris *Arabum* & *Barbarorum* lacunis fuisse inquinatos. Hos inter seculo X à *Christo* nato floruit *Rhases*, famosus ille *Arabs*: scripsit opus ingens, quod *Continens* dicitur, in quo omnium ferè Antecessorum, *Græcorum* & *Arabum*, Commentaria invicem coëgit: in ZACUTO LUSITANO frequens illius mentio fit. Ad medium seculi XI. floruit *Johannes*, filius *Serapionis*, *Autor plurimorum librorum*, præprimis illius *de Simplicium Facultatibus*, in quem MESUE, AVERRHOES & AVICENNA commentati sunt. *Serapion* hic fuit radix errorum in schola Medica tunc temporis ortorum. Coætaneus illi fuit *Haly Abbas*. Hoc ipso seculo ferè, anno 1249. natus est *Avicenna*, patriâ *Corrasenus*, ex civitate *Corraso*, adeoque *Persa* fuit. Aulæ quidem fuit admotus: sed ei non placuit, potiùs studia amavit, & *Alexandriæ* ac *Cordubæ* iisdem operam dedit, primusque rem *Græcis* ipsis intentatam aggressus, & integram artem Medicam sparsim traditam in unum systema redigere conatus est. Ejus volumina sunt notissima; proponebantur etiam *Lipsiæ* antiquitus adhuc consueto more *Licentiandis* in examine. Hujus pater fuit *Haly*, genuinum nomen *Avicenna al-Hafen*, etiam *Avensina*, hinc corruptè dictus *Avicenna ab avo*. Coævus ipsi ferè fuit *Avenzoar*, *Arabs* Medicus, sed *Hispanus*: item hoc ipso seculo XII. floruit AVERRHOES, *Cordubensis Mauritanus* patriâ, κατ' ἐξοχὴν *Commentator* dictus, quod in ARISTOTELEM commentatus sit. Fuit Monachus, Medicus, & Philosophus Theoreticus, non Practicus, totus Aristotelicus, superbus, disputax, ambitiosus, aliorum reprehensor; speculationibus enim indulgendo, & contra alios scribendo, gloriam quæsivit: magis Logicus fuit quàm Physicus: viguit tempore *Friderici Barbarossa*. Declinante seculo XII. vixit inter *Arabes* etiam *Johannes Mesue*, *Damascenus*, qui *vulgò Evangelista Pharmacopæorum dicitur*; quia in componendis simplicibus maximè occupatus fuit: scripsit Pharmacopœiam. *Arabes* hi Medici Græcorum Medicinæ nihil addiderunt, præter simplicium evolutiones & compositiones medicamentorum; potiùs *suis explicationibus in Hippocratem* eum frequenter conspurcarunt, unde tot lites inter *Arabes* & *Persas* propter *literarum Græcarum* explicationem fuêre.

Sub *Barbaris* ita & *Saracenis* abscondita fuit Medicina, donec currente seculo XIII. *Itali* imprimis linguarum puritatem, & hinc studia, denuò revocare ceperunt. Hoc seculo scilicet *schola Salernitana*, potiùs Salbaderiana, originem cæpit. Vixit etiam ferè sub idem tempus *Albertus Magnus*, *Episcopus Ratisbonensis*, cui propter sublimiores literas & Chymiam laus quædam tribuitur. In eodem seculo etiam *Wilhelmus Durandus* floruit, *Speculator* dictus, item *Drusianus Italus*, plus quam *Commentator* dictus; quoniam in *Aristotelis Commentatorem*, *Averrhoën*, ipse commentatus est: sicut in fine hujus & initio sequentis seculi viguit *Petrus de Apono*, *Patavinus*, *Conciliator* dictus, eò, quod *Hippocratis* & *Galeni* scripta conciliare voluerit: fuit acutus Philosophus. Ab hisce temporibus postmodum ad nostra usque tempora innumerabilis ferè Medicorum turba subsecuta fuit, in specie seculo XIV. dum ubique fundarentur Academiæ in *Germania*, in quibus omnibus Doctores Medicinæ præcipuè occupati fuerunt in explicatione *Scriptorum Græcorum* & *Latinorum*: unde floruerunt *Hieronymus Capivaccius*, *Mercatus*, *Mercurialis*, *Gesnerus*, *Fuchsius*, *Cordus*, *Langius*, *&c.* vid MOEBII *Fundam. Physiol.* pag. 11. Hi omnes *Galeni* & *Hippocratis* scripta exposuerunt: quidam, ut *Galli*, *Hippocratem* exposuerunt, sed ex *Galeno* & *Avicenna*, fundamentis rerum naturalium ex ARISTOTELE saltem haustis. *Galli* quidem ex *Galeno*, *Hispani* ex *Avicenna* & *Arabibus*; *Itali* ex utrisque *Hippocratem* explicant, vel potiùs lacerant.

Plura qui legere desiderat, adeat JOHANNEM NEANDRUM, *Medicum Bremensem*, qui *de Sectis, Ortu & Progressu Medicinæ* egregium scripsit librum: item CONRINGIUM *in Tr. Introduct. ad Medicinam*: quo etiam meritò referenda est Chronologia omnium Illustrium Medicorum WOLFFGANGI JUSTI compendiosâ methodo conscripta, facilè ad nostra usque tempora continuanda.

Ex modò dictis, pariter & Experientia, clarum est, quod dicit HELMONT. *in Præfat. de Febribus*: *à temporibus Hippocratis Medicinam stetisse, & non profecisse*, usque ad præsens seculum XVII. in quo per Anatomen & Chymiam, ac in specie per Philosophiam experimentalem, denuò medicina incepit.

Cur autem medicina à tempore *Hippocratis* usque ad nostra tempora steterit sine incremento, rationes possunt dari quinque:

1. Cre-

1. Crebrior literarum sub *Barbarorum* incursionibus & regnorum mutationibus, ac ita & medicinæ mutatio, fortuna &c. unde moras & detrimenta subinde passa est, & vix ad perfectionem majorem pervenire potuit. Accedit
2. quod superiorum seculorum Medici potissimi unicè occupati fuerint in *Scriptorum Græcorum* & *Arabum* versione, & iterata & inani dilucidatione ac commentatione, de ulteriori medicinæ progressu & augmento ne cogitando quidem: unde successivè succrevit infausta ista, & quasi jurata & nociva veterum veneratio atque credulitas. Hinc
3. factum fuit, quod neglectâ Hippocraticâ methodo, nempe per observationes ulteriùs progrediendi, præmaturè medicina adhuc satis mutila & imperfecta in corpus systematicum, instar cujusdam perfectæ disciplinæ, redacta fuerit; in quo præcipuè peccarunt *Arabes*. Conscripsit namque *Hippocrates* experimenta, exempla & observationes proprias candidè, & ad has reflexiones suas habuit: Et
4. quod simul *Aristotelis* Physica, ceu fundamentum scientiæ naturalis; à *Galeno*, maximè ab *Averrhoë* & *Avicenna*, sine ulteriori examine in scholas Medicorum pessimo consilio introducta fuerit, quæ tamen maximè nocet medicinæ.
5. Quod Pyrotechnia & Chymia, primarium scil. Philosophiæ & Medicinæ experimentalis medium, neglecta aut planè ignorata fuerit, quæ tamen veræ Philosophiæ illustratio & claves medicinæ sunt.

Revera ergò Philosophiæ naturali & medicinæ nihil accessit, nisi seculo demum superiori crevisset Chymia, & quidem prisca illa, quæ propter sublimitatem suam diuturno neglectu sepulta latuit. Majorum enim nostrorum Chymia tantùm in scrutinio transmutandorum metallorum, & inquisitione medicinæ universalis, adeoque in mysterio lapidis Philosophorum unicè, pro sanandis universis morborum generibus fuit occupata: ob id quàm maximè occultata fuit semper habita. Primi Ægyptii hinc *Arabes*, eam coluerunt, sed semper sub silentii sigillo fuit occultata: sacerdotibus tantùm concedebatur, & jure hæreditario ad nepotes ferebatur.

Duplex adhuc hodiè Chymicorum est differentia, dum quidam sublimiores in Medicina universali, tàm pro hominibus curandis, quàm metallis imperfectis transmutandis, invenienda & perficienda occupati sunt; cujus possessores aliis *Adepti* dicuntur. Totum horum negotium in hoc consistit, ut ♃ fixum metallicum naturæ ☉aris obtineatur, cujus medio imperfectorum metallorum ☿ & ♃ ita perficiatur & exaltetur, ut exinde ☉verum emergat. Alii Chymici ad tantum arcanum non adspirant, sed sufficit iis, ut mediante igne aliisque mediis omnium trium regnorum individua examinent, & pro usu Medico Practico accommodent.

Ex his tamen, qui ultimis his seculis Medicinam à sordibus nonnihil repurgare, & grassantes in re mediea errores per Chymiam & Pyrotechniam eliminare, aggressi sunt, primus ferè fuit *Basilius Valentinus*, *Monachus Germanus Benedictinus*, currente seculo XV. ferè vivens. Post *Basilium Valentinum* floruit *Rocherius Bachon*, Chymicus & Medicus planè excellens, uti patet ex ejus *Epist. de secret. Operibus artis & naturæ, & de nullitate Magiæ*. *Basilium* imprimis postero seculo secutus est *Theophrastus Paracelsus*, egregius Chymicus, qui sui temporis medicos acerrimè strinxit, quique partim propter stupendas curationes, partim etiam propter inventionem egregiorum medicamentorum Chymicorum, ingentem nominis celebritatem consecutus est. Vitam, scripta, & alia circa *Paracelsum* notabilia, videbitis in *Editione Operum Paracelsi in folio, à Bitiskio facta, in Præfationibus cuivis Tomo præmissis*; sicut hoc ipso seculo ulteriùs veternum excutere studuit *Johannes Baptista van Helmont*, *Nobilis Belga*, *Flandrus* scilicet, qui glaciem à *Paracelso* fractam concussit, scholasque *Galeni* evertere & acriter oppugnare coactus fuit.

De Ortu & Progressu Chymiæ videatur HERMANNUS CONRINGIUS *de Herm. Medicina*, & contra hunc OLAI BORRICHII *Dissert. de Ortu & Progressu Chymiæ*, qui elegans Tractatus est: item ejusd. *Hermetis Ægyptior. & Chymicor. Sapientia contra Apolog. Conringii vindicata*. Plura Medicorum Scripta videb. in JOHANNE ANTONIDE *van der Linden de Scriptis Medicis*, item LIPENII *Bibliotheca Medica Reali*. De Vitis Medicorum videatur ADAMUS ADANICUS: it. PETRI CASTELLI *Vita Illustrium Medicorum*.

CAPUT II.
DE
MEDICINÆ NATURA ET DEFINITIONE.

DEfinitio Medicinæ cùm sit aut nominalis, aut realis, prioris respectu Etymologia potissimum erit consideranda; quoniam, quæ de homonymia & synonymia ejus communiter præferuntur, parvi aut nullius momenti sunt.

Medicinæ ergò vox, sicut & apud *Græcos* (quibus ἰατρὸς & ἰατρικὴ τέχνη,) ἀπὸ ἰάομαι, ita apud *Latinos* à Mederi seu Medendo, id est, ægris auxiliando, nomen accepit, quod LINDAN. *Med. Physiol. l. 1. cap. 21.* à Græcorum vocabulo μέδεω, h. e. curam gero, depromit. Sunt, qui Medicinam à modo seu medio derivant, quos HOFFMANN. *Institut. Medic. l. 1.* non planè absurdos esse putat, eò, quod definitionem HIPPOCRATIS *l. 2. de Flat.* traditam reciperent: scil. *Medicinam esse ablationem eorum, quæ excedunt, & appositionem illorum, quæ deficiunt.*

Realis definitio, cujus varias varii Institutionistæ asserunt formulas, vix tamen re, sed notionibus saltem distinctas, hæc esse potest: *Medicina est Ars, quæ corpus humanum vivens, quatenus sanabile est, seu quatenus ejus sanitas præsens certis remediis conservanda, absens verò restituenda, tractat.*

Generis locum in hac Definitione obtinet Ars, non obstantibus argumentis illorum, qui medicinam pro scientia venditare satagunt; quorum farraginem, cum eorum explicationibus atque responsionibus SENNERT. *Institut. l. 1. cap. 1.* LAUREMBERG. *in Porticu Æsculap. c. 2. & 3.* MOEB. *Fundam Physiolog. c. 2.* HORST. *Institut. Med. Disp. 1. quæst. 2. & 3.* suppeditant; qui tamen Autores omnes pro arte pugnant: sicut præterea ARGENTER. quoq; *in artem Medicam Galeni Comm. 1. cap. 2.*, LINDANUS *l. 2. c. 3.* & PLEMP. *Fund. Medic. l. 2.* cujus asserti ratio

potissimùm in hoc consistit, quod medicinæ objectum res quædam non necessaria, sed contingens saltem sit, cùm medicinæ finis aut cognitio tantùm, quæ scientiæ propria, sed πράξις seu effectio, h. e. operatio, opus post se relinquens, existat.

Altera definitionis pars per differentiam absolvitur, quæ tria cujuslibet artis requisita, subjectum nempe, Finem, & Media, complectitur; ratione quorum etiam ex omnibus artibus nostra est nobilissima omnium, quia nobilissimum in mundo ens pro subjecto habet; non tamen reliquis artibus mechanicis comparanda, quia proximè ad Prudentiam accedit: unde prudens magis quàm artificiosus sit medicus, necesse est.

Qui tamen Medicinam artem conjecturalem dicunt, illius dignitati nihil detrahunt; sciendum enim prius, Conjecturas, quibus utitur medicus, esse medium inter perfectam scientiam & ignorantiam: unde plurimi homines ludibrio eam habuerunt, tanquam incertam, dubiam, lubricam & fallacem, solaque conjectura consistentem, æstimantes. Verumenimverò, nesciunt isti calumniatores, *Conjecturam* esse duplicem: & *temerariam & circumspectam*. *Temerariæ* sunt, quæ sine ulio fundamento hoc vel illud hariolantur, & nihil aliud, quàm puræ ignorantiæ, & vanæ vetularum persuasiones forent; *circumspectæ* autem sunt, quæ habent certum fundamentum, ratione cujus conjecturans nititur aliquid concludere ex certis experimentis, hinque deductis ratiociniis. Fiunt verò conjecturæ vel circa res purè contingentes, ut sunt Astrologorum prædictiones, vel circa res apparenter contingentes, quæ artis circumstantias variant, utut necessariam cohærentiam cum causis naturalibus & fundamentum habeat cum effectu; adeoque hæ ipsæ veræ scientiæ proximæ sunt. Medicorum conjectura talis est, in recessu habens necessitatem materialem cum causis & effectibus; adeoque scientificus ferè hic κοσμικὸς Medicus est, & à quibusdam signum demonstrativum rectè appellatur, quali Politicus, Dux belli, &c. utuntur: vid. JOHANNES MATTH. *Cent. Dist. Med. Quæst.* 1., PLEMP. *l. c. l.* 1. *cap.* 2., HOFFMANN. *Instit. l.* 1. *cap.* 1., SANCTOR. *in Aphor. Hippocr. S.* 1. *Quæst.* 9. & MOEB. *Fundam. Physiol. cap.* 2. *pag.* 25.

Media, quibus conjecturas perficit medicus, sunt Judicium & Memoria. Illud in inquirendis seu scrutandis certis hypothesibus naturæque mysteriis consistit; hæc, scilicet Memoria, in retentione atque observationibus rerum sæpiùs occurrentium consistit: magis tamen medicus sit prudens indagator, quàm tenax memorator, judicioque excellentiori, quàm longiori polleat memoriâ. *Incerta ergò est in fundamento Medicina nostra*, circa quod variè conjecturare solet judicium nostrum, & quidem ob duplicem rationem:

1. Propter Physicam nondum omnibus partibus in fundamento absolutam, cui tamen medicina reverà subalternata est: nam ubi desinit Physicus, ibi incipit medicus.
2. Secunda ratio est in objecto seu corpore humano, quod variat in unoquoque homine, & à priori non cognoscibile.

Est scilicet *unicuique homini sua peculiaris idiosyncrasia*, ob quam universales non æquè omnibus subjectis adaptari possunt conclusiones, *quin ea, quantum plurimum seu in plerique veræ sunt, non necessariò in omnibus individuis eodem modo se habeant*; quibus & externæ quædam accedunt circumstantiæ, à MATTHÆO *l. c.* annotatæ. Unde ratione fundamenti in naturalibus, & ratione objecti in individuis humanis, conjecturis necessariò in medicina utendum est.

Idiosyncrasiæ sunt cujusque subjecti proprietates peculiares, & vel connatæ vel adscititiæ. Connatæ sunt, dum v. g. multi odorem rosæ, multi caseum abhorrent, quo mater gravida valde appetito potiri nequiverit, & sic fœtui impresserit in utero adhuc qualitatem illam. Adscititiam in illis reperire licet, quæ virgines ambræ & moschi odore delectabantur, fœminæ factæ summo fastidio fragrantiam fugere, & non nisi summo cum sanitatis & virium quandoque detrimento perferre solent. Inde conjectura non est temeraria, sed certo fundamento substricta, quod fundamentum, quia variat, ideò & variæ hypotheses, & exinde variæ sectæ ortæ sunt, quæ suo quoque fundamento nituntur. Alia secta pro fundamento habuit Experientiam, ut Empirica; alia rationem, ut dogmatica; alia Analogismum, i. e. convenientiam in morbis, suo quoque nitens fundamento: & hæ sunt sectæ celebriores.

Hinc fundamentum conjecturarum non debet esse *sola Experientia*; sola enim hæc subinde temeraria aut nociva est, & *Empiricorum sectam* constituit. Hæc secta est omnium antiquissima, longè ante *Hippocratis* tempora jam clara, ita dicta ab usu & experientia, in pluribus subjectis eodem modo se habentibus observata, qua unà cum signis, citra causas minus obvias & evidentes contenti erant. Huic sectæ addicti à posteriori seu ab eventu remedium nacti, quod aliis ex usu fuerat, aliis feliciter applicabant. Potissimùm apud *Ægyptios* floruit, apud quos, testante HERODOTO, singuli morbi singulos ferè medicos habebant. Rationes autem non planè rejecit secta hæc; veruntamen in suspenso habuit causas, quas à priori perscrutari non potuit: interim evidentes amplexa est, & per experimenta confirmavit, unum experimentum plus valere centum rationibus censens. Non enim Empirici tàm rudes erant, ut hodiè nostri vulgò dicti Empirici, qui nullâ solidâ scientiâ imbuti, sæpeque experimenta per mortes faciunt; sed præcipuum in medicina posuerunt fundamentum Experientiam, aliquali ratione stipatam. Fecerunt enim experimenta, attenderunt juvantia & nocentia: quibus cognitis facilè fuit aliqualem formam arti conciliare, v. g. quando vomitus adfuit, concluserunt, dandum esse medicamentum stomachicum; quando vertigo, cephalicum. Non autem sufficit cognoscere res facti, sed etiam constet modus & ratio fiendi.

Hujus sectæ primi Cultores fuêre *Acron Agrigentinus* seu *Plinius primus*, aut *Cous* aliis dictus, & *Marcellus* sub *Imperatore Gratiano* & *Theodosio*: quibus accessere *Philinus*, *Philistion Locrensis*, cujus GELL. *l.* 17. *cap.* 11. meminit, *Crito*, *Thessalus*, *Menodotus*, *Sextus*, *Serapion Alexandrinus*, *Apollonius Antiochenus*, *Glauceas*, qui bonus Anatomicus fuit, *Heraclides*, *Tarentinus*: vid. PLINIUS & COEL. *l.* 16. *cap.* 29. hique omnes *Græci*; *Latini* verò *Plinius secundus*, *Cornelius Celsus*, aliique *Græci* hanc sectam τηρητικὴν, vel τηρητικὴν, item μνημοσυνὴν vel μνημονικὴν, item μιμητικὴν τέχνην, observatricem vel memoratricem, aut imitatricem artem, dixerunt.

Dum

Dum autem experimentis rationes addiderunt, successivè crevit alia secta, quæ pro fundamento habuit Rationes, & dicta fuit *Dogmatica* seu *Rationalis*, quæ celebris fuit olim, ac in simul apud *Hippocratem* & *Galenum*, cujus assectæ præsupposuerunt experimenta, quæ confirmarunt illustrarunt-que rationibus. Non solùm per experimenta hactenus facta, verùm & ulteriore indagatione, cadaverum sectione, causarum scrutatione sollicitâ, &c. omnia firmiùs stabiliebant, & in certas regulas artificiosè redigebant morbos, atque remediorum farraginem in certa genera & classes, additâ medendi methodo rationali, an & quare? ac quomodo agant? fiantque singula? solliciti, ut Medicina exerceri, & profitendo doceri possit: *Hippocrates* enim omnia remedia in *Æsculapii* templo, in *Insula Coo*, ubi tabularum votivarum copia erat maxima; collegit, & ex iisdem, quamvis plebejis, artem Medicam excerpsit, & medicamentis rationem adjecit. Hac de causa corporis humani cognitionem exactiùs rimatus est, cadavera multa secuit, elementorumque, tum etiam morborum causarumque, quibus corpus mutari posset, necessariam indagationem existimavit; imprimis in morborum cognitione, judicio ac prognosi, fuit versatissimus, nec non multa alia memoriæ reliquit digna. Hæc *Galenus* perficere adhuc magis studebat: an autem in omnibus æquè benè vel malè, vobis facilè apparebit.

Cùm autem scientia Physica obscura admodum satis & mystica fuerit multis, nec uniuscujusque rei ratio dari licuerit, pro vitandis ambagibus successit secta illa, *Analogismus*, i. e. in pluribus morbis easdem communitates loco fulcimenti tradens, quæ pariter empiricam sectam facit.

Alia quoque exorta est secta, succinctam habens methodum, paucis axiomatibus comprehensam, & dicta fuit *Methodica*. Modus exercendi medicinam fuit comprehensus in *stricto* & *laxo*, seu in *coagulato* & *resoluto*, in quo omnem morbum consistere dicebant; scilicet strictum laxandum, & laxum stringendum esse, dixerunt: v. g. quando fluores naturales fuerunt suppressi, uti sunt mensium emansio, alvi adstrictio, & obstructiones aliæ, dixerunt: adesse adstrictionem, ergò esse laxandum; vel quando adfuerunt diarrhææ, vomitus, hæmorrhagiæ, &c. dixerunt: ejusmodi morbos consistere in laxo, ergò esse adstringendum; vel cùm inflammatus fuerit oculus cum effusione seu effluxu lachrymarum, dixerunt: in mixto illi occurrendum, quod magis urgeret. De aliis non fuerunt solliciti; sufficere enim putabant, adstrictos morbos omnes laxantibus, fluidos cohibentibus, esse curandos. Præterea diætam exactissimam in omnibus morbis observarunt, quam διαλείπτων dicebant. Quæ illius dogmata fuerint, de his minimum habemus cognitum: habent insuper dogmata in diæta aliàs probabilia.

Primus hujus sectæ conditor fuit *Asclepiades*, qui rejecit elementa, loco quorum atomos habuit, & ad partes corporis nostri applicavit: vid. WEDEL. *Physiol. cap. 4. S. 1. pag. 9.* Post *Asclepiadem* hanc sectam excoluit ejus discipulus, *Themison Laodiceus*, *Syrus*, valdè illustris in hac secta, cujus placita multi excipiebant; *Soranus Ephesius*, *Musæus*, *Antipater*, *&c.* Tandem successit *Thessalus*, & *Alexander Trallianus*, vivens *Neronis* tempore *Romæ*, impudens illud os, qui dixit: *Sex mensium spatio addisci posse Medicinam*; contra illud HIPPOCRATIS: *Vita brevis, Ars longa, Occasio præceps, Experientia fallax, Judicium verò difficile, &c.* Vid. HIPPOCR. *Aphor. 1. Sect. 1.* Horum affines fuerè *Agatinus Magnus*, & *Archigenes*, qui, ut refert DIO CASSIUS, *Imperatori Adriano* lethalem sub sinistra mamma locum indicans, in causa fuit, *ut ipse se servo in extremo hydropis modo necandum dederit.* Verum est, intra 6. septimanas comparari posse Medicinam, si consideramus, quemadmodum apud plurimos tota scientia Medica in porrectione sudoriferorum, & propinatione purgantium & diureticorum, consistat. Hâc autem viâ qui procedunt, quid aliud faciunt, quàm quod inveteratam hanc sectam methodicam renovent?

Cœterùm, cùm rationes à priori varient, bipartita nata est *secta*, *dogmatico-Galenica & spagyrica.* Illa petit rationes ex fonte Physico *Aristotelis*, sine dubio falsas, quas stringit HELMONTIUS. Hæc dogmata sua à priori, i. e. per rationes, demonstrat, quas ex analysi corporum artificiali depromit, quod non, nisi per ignem, præstari potest, & quod ex Chymia demonstrari non potest, ceu falsum rejiciens.

Hujus assectæ pro fundamento habent sic dicta principia tria Chymica, ☉, ☿ & Mercurium. Moderni Chymici ad 2. illa instrumenta naturæ progrediuntur, acidum nempe & alcali; imprimis TACCHENIUS & SWALBE integros Tractatus de his scripserunt, quos *in Praxi* secutus SYLVIUS, de quibus infrà, ubi de Doctrina salium.

Ex his ambabus, nempe *secta dogmatico-Galenica & spagyrica*, alii mistam malunt constituere sectam, *Galenico-spagyricam.* Verùm dari eam, planè impossibile est. Etenim nec Galenicorum nec Chymicorum effata possunt concordare cum Philosophia *Aristotelis*; quia Chymia, quo magis illustratur, eò magis dogmata *Galeni* obscurantur.

Mista etiam adhuc hodiè datur secta, quæ ex omnibus, quod verissimum est, colligit. Verùm non est eadem, de qua dictum in præcedentibus. Hanc sectam GALENUS olim vocabat quartam, ab *Agatino Lacædemonio* inventam. Communiter à scriptoribus præteritur, nec inter reliquas numerari consuevit: *attamen omninò optima reliquarum est, & hodiernum necessarium hanc sequi, & ab omnibus mutuari id solum, quod bonum, utile*, stabiliendæ & exercendæ arti accommodum.

Duo hodiè fundamenta sunt, quibus Medicina innititur, Experientia & Ratio, quæ conjunctim fundamentum solidum sunt conjecturarum medicarum; dum memoria & judicio instructus medicus, vel à se vel ab aliis observata suo ægrotanti individuo, tàm quoad Theoriam, quàm Praxin, prudenter & judiciosè applicat. Unde hæc duo, Experientia & Ratio, fundamentum medicinæ veræ constituunt, quæ etiam, pro experimentis observandis, binis acutis oculis, sinistro *Pyrotechnia*, quæ pandit thesaurum totius naturæ, & dextro *Anatomia*, quæ ad interiores partes, & structuram mirabilem totius corporis humani, spectantes nos deducit, instructa est: unde & ratione Pyrotechniæ *spagyrico-dogmatica hodierna secta præ cæteris nobilissima est.* Ratio enim sola sine experientia cæca & erronea admodum est, & pudore suffunditur medicus, qui aliquid citra experientiam facit: similiter sola Experientia sine ratione est fallax, imò temeraria, quia rem docet, modum verò tacet. Ratio ergò fundetur super Experientiam, & Rationes illustrent Experimenta.

Objiciat quis, quod ratio difficilis sit propter Physicam

cam nondum illustratam; Experientia fallax & lubrica, quia totam eam unica circumstantia potest reddere vel falsam vel ambiguam; Respondeo: Ideo duæ hæ sunt jungendæ, quæ, si ambæ conspirent, indubium Medicum reddunt; si tamen *adversâ fronte pugnare videantur, semper Experientia præferenda est Rationi.* Illa suggerit rerum notitiam; hæc scrutatur earum fiendi modum: illa suggerit effectus; hæc scrutatur causas. Cùm igitur nihil sit in intellectu seu ratione, quod non prius fuerit in sensu, seu per experientiam cognitum, sequitur: Experientiam in casibus dubiis rationi præferendam esse; Experimentum enim unum præstat centum rationibus.

De Sectis Medicorum videatur in specie MOEB. *in Fundam. Physiol. Medic.* Malè sentiunt, qui dicunt cum MOEBIO, Astrologiam esse oculum alterum Medicinæ; sive enim Astrologiam judiciariam spectemus, falsa est & incerta; sive Calendariographiam consideremus, ubique decipiemur ridiculis ineptiis: neutraque hic locum & usum obtinet.

Omne ergo in Medicina Theoriæ fundamentum desumendum est ex Physica & Mechanica. Illa per Pyrotechniam illustratur, quæ etiam corpori humano applicanda, pro ratione ejusdem elementorum seu principiorum partes constituentium; Mechanica verò per anatomen corpori applicatur, siquidem per hanc structura corporis mechanica, quæ quasi automaton repræsentatur, illustratur, & functionum & actionum ejus ratio ex mechanicis principiis optimè explicatur. Ex Physica & Pyrotechnia materialem partium corporis texturam, & inde dependentes proprietates & qualitates varias addiscimus; ex Mechanica verò formalis partium structura & conformatio, indeque observationum varietas, cognoscitur.

Objectum seu *Subjectum*, quæ h. l. pari passu ambulant, Medicinæ est corpus humanum vivens, quatenus sanabile est, i. e. quatenus in statu sanitatis conservandum, vel à statu sanitatis recedens in integrum restituendum: & prout quælibet Ars non uno modo circa eandem rem versatur, adeoque subjectum quodlibet duo; Materiale scil. & Formale, involvit; ita Medicinæ Objectum est vel formale, vel materiale. Objectum materiale est corpus humanum vivens; formale verò est, quatenus sanabile.

Nonnulli omne corpus sanabile subjectum Medicinæ pronunciant, v. g. PLEMP. *Fundam. Medic. l. 1. cap. 3.*; quod tamen nimis universale videtur: non quod à Medicina excludere velim reliqua præter hominem animalia, & vel nullam in ipsis, vel omninò formaliter distinctam ab humana sanitatis & morbi receptionis aptitudinem agnoscere, sed quod non minus turpe nobili Medico videatur, tàm ignobilis, v. g. canis, &c. curæ vacare, ac vile est Principi plebi & subditis familiarem se nimis præbere: cui accedunt diversæ circumstantiæ, propter quas in brutis, aliisque viventibus, morborum curam non commodè aggredi ac perficere licet. Itaque rejicio *Medicinam Veterinariam*, quæ & canes & alia bruta pro objecto suo habet: rejicio & eos, qui non solùm corpora brutorum, sed & alia viventia, vegetabilia, &c. pro objecto Medicinæ habuerunt.

Homini ergò soli Ars Medica ministratur, qui, cùm ex anima rationali, spiritu vitali, & corpore organico constet, anima verò illa morbis Physicis, sive Medici opem expetentibus, non obnoxia, atque sic immutabilis existat, in corpore ejus organico, spiritibus animalibus instructo, tanquam subjecto ut acquiescamus, ratio suadet.

Finis Medicinæ est sanitas; ubi tamen rectè distinguendum inter Finem *externum* & *internum*, seu inter Finem *intentum* & *obtentum*: *Ille*, scil. *externus* seu *intentus*, semper est Sanitas conservanda aut restauranda: propter hanc enim ægri se Medicis subjiciunt; *Hic*, scilicet *internus* seu *obtentus*, quem alii munus seu officium Medici dicunt, est facere ea, quæ ad intenti Finis assecutionem apta & necessaria sunt; hoc est *curatio*, quæ est effectus Medicinæ, item morborum insanabilium prævisio & prædictio. Quæ si Medicus egerit, officio suo satisfecisse dicendus est, utut non semper sequatur Finis externus seu Sanitas, utpote quem simpliciter in arbitrio suo, instar eorum artificum, qui subjectum merè passivum agnoscunt, positum non sit. Sicut enim nec ex ovo excluditur pullus, nisi à spiritu genitali galli fœcundetur, visque genitalis in ovo latens beneficio incubatus & blandi caloris exsuscitetur; ita si natura non peragat partes suas, (sicut natura morborum Medicatrix ab HIPPOCR. *6. Epidem. Sect. 5. Text. 1.* dicitur:) si adstantes officium suum negligant, si denique res non-naturales, vel quæcunque causæ externæ, Medici intentionem turbent, uti idem HIPPOCRAT. *Sect. 1. Aphor. 1.* annotat, remedia frustrà adhibentur, Medicus tamen ab omni ignorantiæ & imprudentiæ culpa liber erit. Præterea à Medicis illi quoque tractantur, & à Practicis describuntur morbi, qui per se insanabiles sunt, non quod contra hujus ambitum hi sint, v. g. vulnera cordis ventriculos penetrantia, apoplexia vehementior, ℞ exulceratus, sphacelus, &c. sed ut constet, eos insanabiles esse, utpote quod prospicere, & ab illorum cura abstinere, prudentiæ pariter opus est.

Media restant ad Finem perducentia, i. e. causa efficiens, à cujus influxu Sanitas, ut effectus, oritur, quæ duplex: *principalis* & *instrumentalis*. Principalis, seu à qua, Medicus est; instrumentalis verò, seu per quam, sunt ipsa auxilia & remedia, quæ ex triplici fonte, diætetico nempe, pharmaceutico & Chirurgico, petuntur, de quibus suis locis pluribus agetur.

Ex quibus omnibus ritè ponderatis constat, rectè Medicinam ab Hippocr. passim artium omnium præstantissimam vocari, & id quidem (1.) ratione subjecti, corporis nempe humani organici (2.) ratione Finis seu sanitatis per se expetendæ, & bonis temporalibus quibusvis anteponendæ, ita ut ab HELMONTIO *Medicus Mediator inter vitæ principium*, h. e. spiritum vitalem & mortem, non ineptè dictus fuerit; imò (3.) ratione Efficientis quoque, quippe non solùm viros divini sæpè ingenii, sed etiam magnates quoque plures, Medicinam coluisse & exercuisse, historia Medica docet, de quo vid. GALEN. *l. 6. M. M. cap. ultimo*, WILHELM. PLANT. *in vita Fernelii*, JOHANN. BAPTISTA SYLVAT. *Obs. 94. & 95.* HORAT. AUGEN. *Epist. & Consultat. l. 8. pag. 594.* LAUREMBERG. *Portic. Æsculap. cap. 9. &* MOEB. *Fundam. Physiol. cap. 1.* Quibus (4.) accedit, quod CELSUS animadvertit, *medendi artem nusquam non esse*, h. e. ipsius usum ubique terrarum existere: siquidem etiam imperitissimæ gentium herbas aliaque in auxilium vulnerum morborumque norunt, quod præprimis BONTIUS *de Medic. Indorum*, & CAROL. PISO *de rebus Brasiliensibus*, confirmant.

Ex his manuducimur ad Divisionem Medicinæ.

CAPUT

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0058-6 DFG

CAPUT III.
DE
MEDICINÆ DIVISIONE.

ABsolutis nunc illis, quæ essentiam Medicinæ concernebant, h. e. datâ & explicatâ ejus definitione, Partes hujus systematis sequuntur, quas methodica divisio non difficulter exhibebit, talis scil. quæ singulas non tantùm suo loco ponit, sed idoneis quoque transitionibus connectit.

Sunt nempe *Medicinæ* pro reliquarum omnium artium natura *tres partes principales*, ut φυσιολογικὴ, παθολογικὴ, & θεραπευτικὴ cum ὑγιεινῇ.

Prima pars, *Anthropologia* seu *Physiologia* dicta, considerat materiale, h. e. subjectum seu objectum suum, nempe corpus humanum, ejusque partium constitutionem, usum, & actiones, & animæ sic dictas Facultates. Huc pertinet tota Physica: ubi enim desinit Physicus, ibi incipit Medicus, & tota Anatomia.

Secunda pars considerat Formale & Finem propositum, quem in objecto suò, vel subjecto per Physiologiam probè cognito, nititur obtinere, & hæc est *Pathologia*, quæ sanitatis, & huic oppositorum morborum, scrutatur naturam, & facit, ut Medicus notitiam capiat sanitatis conservandæ, peritusque fiat morbis tollendis: & quidem versatur vel circa horum quidditatem, causas & differentias & effectus, vel circa signà, quæ alterutrius in corpore præsentiam, similiaque huc facientia indicat, & Semiotice vocatur.

Tertia pars tractat de mediis legitimis, quibus Medicus Finem potest obtinere, &, pro varietate horum mediorum, subdivitur in *Hygienam* & *Therapeuticam*. Illa est, quæ contemplatur sanitatem præsentem, ut conservandam; Hæc contemplatur sanitatem labefactatam vel amissam restaurandam.

Semiotica est *bifida* seu *bipartita*: nam *diagnostica* reverà ad *Pathologiam*, *Prognostica* ad *Therapeuticam* pertinet; cùm Medicus Practicus perspectâ morborum ratione ex Pathologia, imprimis per signa eosdem, subinde etiam abditos, in ægro cognoscere & perspicere possit, & præterea sub curatione therapeutica simul maturè præcognoscere, an curabilis, an verò incurabilis, & quomodo? morbus sit.

Ministra partes Medicinæ, quæ ad Finem desideratum commodiùs consequendum nos ducunt, sive, ut GALEN. *l. 1. Acut. Text. 3.* ait, propter curationem commodiùs exercendam adhibentur, aut Hygienæ inserviunt, aut Therapeuticæ. *Hygiena* quidem *Diætetica*, quæ cum regimine rerum nonnaturalium curat, cui subordinata est Ars culinaria, & huic cognata, Pistoria, Cerevisiaria, &c. *Therapeutica* verò ministratur Ars *Pharmaceutica* & *Chirurgica*; quarum illa omnium simplicium ex tribus regnis exactam compositionem, hæc Anatomiæ crebrius præsupponit exercitium; adeòque octonario partium numero tota Medicina generalis comprehenditur.

Non sunt *distincta artes*, *sed partes*, *Pharmacia & Chirurgia, à Medicina, & non distincta entia, Pharmacopola & Chirurgus à Medico. Per neglectum vel malitiam horum factum est, quod à Medicis ad alios homines transierint nobilissimæ hæ partes Medicinæ.* Equidem primi *Græcorum Medici* propriis manibus parabant medicamenta, applicabantque malagmata; posteà verò Medicorum famuli fugitivi facti successivè emerserunt Pharmacopœi, & sic suâ sponte ceperunt parare & dispensare Pharmaca, à quibus profecti Pharmacopœi, & facti postmodum Medicorum socii. Eadem fortuna fuit cum Chirurgia, ubi alii ausi sunt applicare Chirurgica, & multa, quæ proficua esse usu experti, alios docere inceperunt; & sic diversæ ortæ artes, & separatim propagatæ sunt. De Medicorum multitudine vid. STURM. *Tr. de Medicis non Medicis*; item BEGUIN. *in Præfat. Tyrocin. Chymici.*

Ridiculi autem sunt quidam Medici, qui simul Medicinæ & Chirurgiæ Doctores vocari malunt, quasi Chirurgia esset Ars distincta, nescientes, utrumque competere Medico ac debere, hunc esse simul peritissimum Chirurgum (Chirurgia enim est nobilissima Therapeutices pars,) quia subordinatæ partes sunt.

Quid sint Archiatri, item de Officio Medici, item an Jure-Consultus præferendus Medico, vid. *Commentar.* JOHANNIS FRIDERICI MEIBOMII *in Magni Aurelii Cassiodori formulam Comitis Archiatrorum.*

INSTITUTIONUM MEDICARUM
PARS I.
PHYSIOLOGIA.

CAPUT I.
DE
PRINCIPIIS CORPORUM NATURALIUM.

PRincipia *naturalia* sunt vel
- 1. Agens. *Motus*, qui consideratur vel
  - 1. Formaliter
    - (1.) Impulsivus
    - (2.) Gravativus
    - (3.) Elasticus.
  - 2. Materialiter, in suo subjecto, nempe materia, quæ vel
    - (1.) Simpliciter patiens, unde motus vel progressivus, vel intestinus.
    - (2.) Simul determinans per sui
      - (α) Impenetrabilitatem.
      - (β) Figurationem seu conformationem
  - 3. Efficienter. Movens est vel
    - (1.) In genere Impellens, gravans, tendens.
    - (2.) In specie
      - (α) Primum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0059-4 DFG